Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 361
Quelle:
Copyright:

lium ſimul et populorum diuerſorum. Demum lego: *ambo libri IV. vicibus ſunt auditi, cum uno die medietas libri tantum modo legeretur — et hęc recitatio facta his diebus. Prima idus Aprilis. Secunda XV. Kl. Maji. Tertia* VIII. *idus Marcji. Quarta uero die III. Kl. Januariarum*, pro: *ambo libri ſeptem vicibus ſunt auditi, cum unius medietas libri tantum legeretur — Eadem hæc repetitio facta eſt his diebus, prima Idib. Aprilis, ſecunda 15. Kalend. Maji, tertia vero 3. Kalend. Junii.* Quanquam non diffiteor, haerere me in praepoſtero menſium meorum ordine. 3) Narratiuncula, quae inſcribitur *Argumentum*, nempe Poematis, quae vero rem a turbis inter *Agapitum* P. R. et *Anthimum* Patriarcham CPolit. orditur, parumque fidei meretur; neque enim vel *Agapiti*, vel *Silverii* nomen exprimit, Auguſtam non *Theodoram*, ſed *Eleutheriam* adpellat, pro *Juſtiniano* tantum *Regis* nomine utitur, cumque *Vigilium* in itinere extinctum, Romamque ab Exercitu Imp. obſidione Barbarorum liberatam retuliſſet, concludit: *Quod Arator, ſicut ceteri Romani, meritis Vigilij papę eueniſſe putauit. & ideo in principio Poematis ſui hoc tangit.* Quis haec cum Elegia praevia ad *Vigilium*, Poemateque ei vivo tradito facile componet?

II. *fol.* 72. *Incipit Liber Alcimi Aviti Venennenſis* (Viennenſis Gall.) *Epiſcopi De Inicio Mundi.* En alium Poetam chriſtianum nihil concedentem *Aratori*, et argumento majorem, ut aetate; obiit enim a. 525. Poema illius V. *Libris* conſtans, quibus, ut videbimus, acceſſit alterius Argumenti *Sextus*, primus in lucem dedit *Joh. Adelphus* typis *Argentinatib.* a. 1507. Editio optima eſt *Pariſina Jac. Sirmondi* a. 1643. 8. unde *Avitus* in *Bibliothecam PP. Lugd.* T. IX. ad p. 560. tranſiit; ego vero Textum cum T. II. *Opp. varior. Sirmondi Pariſ.* 1696. *col.* 183. f. contuli, nihilque in capto ſpecimine reperi, quod lectioni *Sirmond.* praeferas, ni fortaſſe v. 40. pro: *rarus nunc prodere pontus*, legere malis cum Codice: *noſter producere pontus.* Ceterum abeſt ab eo *Prologus* proſaicus ad *Apollinarem*, et *Liber* V. verboſius inſcribitur *De Exitu Filiorum Iſrael Et Submerſione Egiptiorum In Mari Rubro. Libro* VI. praeeſt *Prefacio Alcimi Epiſcopi Venennenſis* (ſic ubique) *In Librum Sextum De Conſolatoria Laude Caſtitatis.* In hac cum Codice noſtro legendum cenſeo: *Quos tamen cum ego poſt denuntiatum*, pro: *Quos tunc ego* &c. item: *vel de religione communiter*, pro: *vel de religione parentum communium*, quae habet *Sirmondus.* Ceterum is in ipſo Poemate caſtigatior eſt. Ad calcem rubro, ſed a diverſa manu, adſcriptum eſt: